KLOSTERMANN, J.

Dissertatio

inauguralis medica de

Vitiata infantum

educatione physica.

1841.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
VITIATA INFANTUM EDUCATIONE PHYSICA,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI DECANI,
NEC NON
CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM
D. D. Professorum
pro
DOCTORIS LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE AC
LEGITIME OBTINENDIS
in antiquissima ac celeberrima
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
publicae disquisitioni submittit

Josephus Klostermann,
Bohemus Schloesselwaldensis.

In theses adnexas disputabitur in aedibus Universitatis
die Maji 1841.

Vindobonae.
Typis Caroli Ueberreuter.

Totius vitae humanae sors in incunabulis praeparatur.

Knolz.

DOMINIS DOMINIS

Christophoro Guilielmo et Ferdinando

A B È L É,

PLURIUM HYALOCATOPTRURGIORUM PER BOHEMIAM ATQUE BAVARIAM POSSESSORIBUS

etc. etc.

VIRIS

IN ARTE VITRARIA PERITISSIMIS, HUMANITATE,

CANDORE, BENEVOLENTIA

INSIGNIBUS.

AMICIS ET FAUTORIBUS

SUIS CLEMENTISSIMIS

TENUES HASCE ACADEMICI LABORIS PRIMITIAS

IN

SUMMAE VENERATIONIS ET GRATITUDINIS

CULTUSQUE PERPETUI

TESTIMONIUM

dicat

gratissimus

Auctor.

Fautores benevolentissimi!

Quod per annos ardenti exspectabam desiderio tempus, en mihi praesto! ut publicae palamque faciam singularem Vostram erga me Benevolentiam, Infinitaque Beneficia, quibus longa annorum serie me prodiga manu cumulastis et hucdum cumulatis. Accipite studii academici primitias pro consueta benevolentia Vostra qua exiguum omnino specimen gratitudinis summaeque venerationis meae.

Tenuis quidem est labor, quem Vostro condecorare nomine per Europae confines fulgente, amico mihi concessistis animo, vix dignus tanto honore; ast quae facto deficit vis, utinam voluntatis calore corroboretur! Faxit Deus ter optimus maximus, ut fausti sospites et incolumes diu vivatis — ut vivatis

onusti illis gloriae spoliis, quae tantae humanitati debentur. Vostram memoriam attica fide ad feralem usque tumulum me conservaturum, sancte promitto et spondeo.

Dabam Vindobonae Mense Maji 1841.

J. Klostermann.

Paucissimi mortalium qua infantuli naturae legibus conformiter tractantur, plurimi vix nati aut obstetricis, matris aut nutricis crudelitate, stultitia vel sollicitudine nimia sanitatis dono priviatur divino. Pro viribus inter multa communissima, tenellisque infensissima, a nativitate ad secundam usque dentitionem comissa, collegi vitia, quae, ut quidam habeatur ordo, duobus tracto capitulis, exponens in primo errores, qui a natu ad primam, adducens altero illos, qui ad secundam usque dentitionem committi consueverunt.

Capitulum primum.

Vitia educationis infantum physicae, commissa nativitatem inter et primam dentitionem.

§. 1. Communissima omnium potentia nocens propullulat infantulo, vix uterum egresso, ex opinione obstetricum praeoccupata, qua ductae rudi emulgent manu sanguinem praescisso in funiculo umbilicali contentum, infantem perinde a variolis genuinis custodiri false pensitantes.

Quantus hujusce facti sit valor, sano ratiocinio instructum aliorumque experientiam consulentem medicum fugere non potest, qui et mala exinde oriunda facili intelliget modo, perpendens, vellicatione et distensione partium adeo tenerarum non raro regionis umbilicalis inflammationi, probasi umbilicali vel utrique simul ansam praeberi.

§. 2. Tenellum ut a vernice caseosa omnique alia mundent sorde balneo imponunt obstetrices, et hoc haud sine jure, valde vero peccantes, omnem corporis superficiem eadem aqua, cui infans innatat, lavando. Facies et praecipue oculi liquorem, a reliqui corporis immunditie conspurcatum, aegerrime ferunt; irritatur nimirum organon visus, et ophthalmia neonatorum lugubris ejus habetur sequela.

Quod facile evitabunt malum, aquam puram in vase proprio, spongiamque huic solum usui dicatam, si praesto habebunt. Reliquum autem corpus totum sit aquae submersum, ut tali modo caloris frigorisque vicissitudini minus expositum, refrigerium tam tenero organismo praecipue noxium, non contrahat. Quod ex medio humido corpus ambiente, eo facilius accidere, neminem latet.

§. 3. Haud raro puellarum puerorumque mammas post partum turgidas, et liquore, lacti non absimili, repletas offendimus. Hic sedulo cavebunt obstetrices, ne partes vix nominatae durante balneo aut fasciatione detrimenti quid capiant, ne premantur, punganturve. Minimam tenerrimarum partium laesionem, inflammationem vehementissimam provocando parem esse, inter omnes constat medicos.

Vehementer itaque obstetricum cavillandus est mos, digitis, ex labore nonnunquam gravi, cute aspera donatis, imo et unquibus hunc liquorem exprimendi, quod praeprimis puerulis ruri, ne magnis, uti putant, mammis deformentur, inferri consuevit.

§. 4. Aliud aggredior vitium et hoc non leve, obstetricibus severe imputandum, quo laborantes, infantem balneo desumtum non illico in linteamina et pulvinare juste calefacta imponunt, sed levi solum et simplici linteo — vituperanda negligentia — pauca, uti dicunt, momenta, obtectum relinquunt; interim haud raro spiritui frumenti aut vino indulgentes — lintea quae-

rentes et calefacientes, pauperculo lusu extremitatum lintea amovente, refrigeriumque, corpore madido, contrahente. Livescit illico cutis, turbatur respirii systematisque cutanei munus, enascitur derepente icterus neonatorum e functionibus tam graviter laesis.

§. 5. Ut tenellos neonatos jam a primo spiritus ductu contra temperaturae vicissitudines muniant defendantque, firmos robustosve reddant, parentes falsis innixi argumentis et proh dolor! a medicis quibusdam suffulti, vario miseris adplicant modo frigus, lotionum nimirum balneorumque ope, antiquorum Germanorum morem, neonatos suos aquae fluviatili immergentium, inflatis decantantes buccis; non reflectentes, actum hunc inter barbaricas gentis hujus consuetudines esse ponendum, quo multos surculorum suorum haud raro letheis immergebant undis; immemores, proles nostras non esse eas, quae omne id ferre valerent, quod, utut sat aegre, ferebat antiqua stirps fera.

Qui paulisper perpenderit medicus, infantem in utero materno, calore sanguinis temperaturam aequante, fotum fuisse, naturamque hanc temperaturam haud sine causa induxisse, calore nimirum evolutioni organismi maxime conveniente; qui porro animo revolverit, naturam sensim sensimque progredi agendo, saltusque non amare: nescio, qua ratione ductus affirmare poterit, calorem primo a partu tempore ad ritum successum et justam corporis infantilis evolutionem non esse conditionem, sine qua non, et quamlibet repentinam ab hac norma deviationem sequelas nocivas non habere?

Experientia quoque confirmatum videmus, quod ratio suadet. Frigidis enim lotionibus balneisque neonatorum, catarrhos, ophthalmias, colicas, convulsiones imo trismum et tetanum fatali cum eventu oriri, nemini practicorum ignotum.

His consideratis, quis est, qui caros lavari non curet tenellos, aqua temperatura 24 — 26° Réaum. in-

cipiens, quam annorum decursu minuens cum frigida tandem fluviorum commutat naturam sequens non ardentem insanorum phantasiam limites, sanae rationis excurrentem.

§. 6. Jam vero frigidas tenellorum lotiones balneaque damnans, tantum absum, ut illorum amplectar sententiam, qui, cubile, infantibus primis inhabitandum mensibus, continuo occludendum, aërique externo introitum denegandum esse, opinantur, ut potius suadeam, cubilia sedulo esse ventillanda, ne effectuum malorum, mox nominandorum — magnum in neonatorum detrimentum — germen exitiosum ponatur.

Defectus enim aëris puri mollitiem parit, et levissima qua data causa, transpiratione cutanea suppressa, catarrhis, rheumatismis ansam praebet. Aëris inclusi, exhalationibus puerperarum particulisque lochiorum fermentatione putrida in auram arreptis, impraegnati qualitas vitiata, an est, cui perspicua non sit? accedente insuper calore, multitudine foeminarum aliisque causis excitato, putredinem augente, poros cutaneos aperiente, quo facilius aër perticulaeque aëris putridae corpus intrare possint.

Faciem infantum cacheticam, corpus debilitatum impetiginibus squalidis defoedatum, qua sequelas infaustas perversi hujus educandi modi, pronuntio, affirmans insimul scrofulas, rhachitidemque, pauperumin tuguriis domiciliantem, pro maxima parte ex fonte scaturire hocce fecundo.

§. 7. Valde communis longe lateque dispersus est mos, infantes matrum imponendi lectis, ut calore eorum foti recreentur, periculo vero minime carens, facili enim modo infans, matre somno detenta comprimi, vel pulvinaribus suffocari potest. Cujus asserti veritatem exemplis sat tristibus corroboratam habemus.

Quod praecavebitur malum, infantibus proprius si struitur lectulus.

§. 8. Non defuerunt, qui fasciationem aequo firmiorem strenuis castigarint verbis medici, parentibus noxas inde progerminantes luce clarius exponendo: nihilominus tamen plurimos invenies genitores, stupenda pertinacia, antiquae inhaerentes consuetudini malae, infantemque, utero materno extremitatibus flexis truncoque admotis, viventem, vix eo exclusum, repentina sua fasciatione adeo distendentes et torquentes, ut pauperculus mumiae adinstar rigentis, superiores inferioresque extremitates ne tantillum quidem movendo par sit.

Quid itaque miramur, infantes continuo vagitu exagitatos nec mammas sumere, nec somnum capere posse, flexorum extensorumque rationis reciprocae repentinam mutationem violentam considerantes; quid mirum, dico, si in pueris, quorum testes nonnunquam post partum demum in scrotum descendunt, fasciis et propriis ad se invicem adductis, comprimuntur, inflammantur, exulcerantur. Tantum abest, ut tacendo praeteream noxas, pulmonibus organisque abdominalibus inferri solitas, ut potius brevi pro viribus dilucidem, coarctatione hac exsecranda dispositionem in morbos innumeros aeganorum supra dictorum provocari. Infantem recens natum aegrius spirare, quam adultum, quem autopsia non docet? qua clarefit, respirationis momenta, in- et exspirationem puta, celerius sese excipere, parietes thoracis minus moveri, diaphragma autem cumque eo abdomen maximam hujus officii partem absolvere. Receptio aëris in pulmones non solum angustiori minusque adhuc mobili thorace impeditur, sed etiam trachea et bronchi, cartilaginibus nec dum firmis, instructi, et praecipue bronchorum surculi minimi adhuc flaccidi et distensioni non adsueti, pulmonumque parenchyma firmius, functioni huicce sat nobilia struunt impedimenta. Hisce prolatis sine multis elucet, respirationem infantis primis a natu diebus, levibus non cir-

cumdari impedimentis, quae omnino obstacula a natura ipsa posita, perque hanc ipsam auferenda, per artificialem thoracis abdominisque coarctationem fasciationis ope, augentur, organismo tam tenero impari facto ea amovendo.

Quis est, qui his perpensis, tantillum dubitet de pulmonum organorumque abdominalium inflammatione, exulceratione, induratione, ut alia plura omittam mala, quae hunc agnoscunt fontem qua causam cuivis claram.

§. 9. Sequelas infaustas lustratus fasciationis aequo firmioris, nullatenus levissimam quamque damno infantum involutionem, nam infans tener, ni involveretur, vix absque noxa prehendi et mammis adponi vel quocumque versus transportari posset.

§. 10. Impedimentis respirationi infantum obnoxiis, perlustratis, censeo, matrum quoque reprehendere morem, aërem conclavis, diversis odoribus impraegnatum, corrigere velle variis fumigationibus suaveolentibus, non reflectentium inquam, aërem purum tantum sanitati prospicere, odoresque suaves magis adultorum naribus, quam neonatorum pulmonibus arridere.

§. 11. Legem sanctam naturae, quo mater tenetur: „prolem lacte proprio nutrire", quis est, qui ignoret? Missis multis illud tantum adduxisse velim, naturam in hunc finem matri necessaria dedisse organa et blandissimum et aptissimum proli sustentandae secernentia nutrimentum. Mater ipsa tenerrimo et invincibili quasi in prolem trahitur amore, qui frequenti cognoscitur ejus amplexu, basiisque sine numero fixis; soboles vero matris gaudet praesentia, lacrymansque mitigatur vicinitate genitricis. Sunt tamen matres humanae caeque haud ignobiles, naturae et amori in prolem reclamantes et infidae, illique ubera denegantes, quibus lepor et pulchritudo faciei — quam perdere ti-

ment — choreae deliciaeque publicae majoris, quam tenellorum salus, sunt.

Sunt quidem casus, ubi mox physica impossibilitas, lactis secretione deficiente, vel mammarum structura morbosa, matrem ab implendo munere detinent, mox medicus ipse argumentis sat gravibus suffultus, matris nimirum sanitatis vitaeque conservandae gratia, aliam nutritionem injungere cogitur. Hos casus, omnio raros, lubens excipio.

Matres tam grave committentes peccatum, quum prolem propriis lactare recusent mammis, graves quoque luent poenas a natura vindicatrice. Nec mihi animus est multis explicare verbis mala quae reas plectere solent genitrices, adduco solum amaurosim, surditatem, apoplexiam, imflammationes viscerum, lentas eorum desorganisationes; in memoriam revoco, tubercula insananda, scirrhos horrendos, et fluxus varios nullo fere siccandos remedio. Tacendo praetereo torquentes animi adfectus, quibus serius ocyusve excruciatur mater, ab infante non tenero amore, sed frigida offendenteque recompensata indifferentia.

§. 12. Jam vero ad ea transeo mala, pauper quibus plectitur infans, matrum negligentia et crudelitate nutricum projectus in curam, quae — tanto officio saepe ineptissimae — haud raro in extiosos animi affectus pronae, aut morbis infectae turpibus, depravatum secernentes lac, infantulo nutrimenti loco exitiale instillant venenum. Nec rari narrantur casus et egomet ipse vidi, ubi nutrix syphilide infecta deplorabundum quoque infecit tenellum, ex quo et osculans mater infecta discessit. Utinam medici, quorum est, nutrices exquirere, summa cum cautela procederent, gravitatem operis perpendentes.

§. 13. Quum tanta jam hauriat incommoda infans a matre nutrici traditus, quae, amabo ille experietur,

qui nec matris nec nutricis idioneae recreatus lacte, modo nutritur artificiali?

Seliguntur plerumque ex animalibus caprae, quarum uberibus tenelli adplicantur, quae utique methodus aliqualibus fulcitur argumentis, quae tibi sunt: crassities et forma papillarum, quas labiis facile capit infans; qualitas et quantitas lactis; facilitas, qua ubera porriguntur, et inclinatio in infantes, cujus animal capax reperitur. Caveatur autem, ne infans ex petulentia aut impatientia caprae detrimenti quid capiat, ne sit aetate nimis provecta, ne lac nimis intensum prae se ferat odorem. Sunt medici, qui capras sine cornibus, pelle alba vestitas, ceteris praeferre non haesitent.

Porriguntur quoque lactis surrogata, quae nisi fuerint viribus ventriculi digestricibus, aetati, sanitati et aliis circumstantiis adaptata, si sine ordine, sique infans ex coeco parentum aut servarum amore infarcitur, dyspepsiam, vomitum, spasmos, diarrhoeam vel stypsim, colicam flatulentam, atrophiam, aphthas, scrofulas et rhachitidem causare valent.

§. 14. Dantur matres ubera propria neonato quidem minime denegantes, quae falsa ductae opinione, colostrum, cui vim tribuunt venenatam, abjici, infantemque non prius ac febris intrarit lactea, mammis applicari curant. Momentum quidem, quo neonatus mammis apponendus, difficile statutu, ast ejulatus, motus suctorii, quos vi peragit, abunde indigitabunt necessitatem. —

Colostrum ante lac in mammis secretum, serosum est et tenue, plures explens indicationes: offert infanti, cujus organa gastrica debilia adhuc, nutrimentum facile digestu, lubricat intestina solvit materias ibi contentas, meconiumque expellit. Quod si non fieret, largum praeberet ansam torminibus gravissimis, vigiliis, cardialgiis, motibus spasticis, pertinacibus alvi obstipationibus, ictero. His praemissis elucet, matrem bene minime

agere, proli colostrum denegantem, quae insuper ipsa dira non raro plectitur febre lactea, quam, vasis lactiferis suctu irritatis et distensis, humoribus in mammas derivatis, lactisque ingressu promoto, multum potuerat mitigare.

§. 15. Matrum praeterea habetur cohors, quae, quotiescumque vagierit infans, papillas ipsi intrudunt, quin reflectant, omnem vagitum non esse sequelam famis torquentis, sed plerosque infantes lacrymas fundere, quia faecibus alvinis aut urina missa adrosi, torminibus, spasmis intestinorum cruciati, fasciatione pressi, aut acu fasciis infixa, morsu insecti, aëre stagnante corrupto, aestu situve iniquo, turbantur. Haec si perpenderit mater, causis investigatis, facile cavebit mala, impletione ventriculi derivanda, voracitatem nimirum, magnamque catervam malorum ex digestionis vitiis redundantium.

§. 16. Omni quoque fervore moneo matres, ne, ira aut alio animi pathemate exagitatae, ubera praebeant tenello, lac enim animi pathematibus et praecipue ira peculiari mutatur modo, infantibus plenum periculo, imo lethiferum evadit. Mater itaque, cui cordi est sobolis salus, lac vase suctorio mammis emulsum abjiciendum curabit, infantemque, intervallo sex horarum praeterlapso demum uberibus applicabit; quo facto lac pristinum acquisierit characterem non nocivum.

§. 17. Non minus a recto aberrant tramite matres, infantibus ter quaterve de die pulmentum e farina tritici cruda cum lacte vaccino paratum, porrigentes. — Quis enim, qui rei medicae nomen dederit, ignoret, triticum magnam continere partem glutinis, quod, nisi fermentatione destructum, viribus infantis digestricibus resistit, intestinorum parietes obducendo, vasorumque chyliferorum orificia claudendo. Acescit in ventriculo, cruditates gastricas causans.

Habetis exinde tormina, spasmos, epilepsiam,

atrophiam, helminthiasim, et alia mala, eo citius prodeuntia, si puls e matrum pigritia nefanda, jam mane pro integra die parata, ad vesperas usque residua, acescens infantibus intruditur.

§. 18. Quod nunc in medium allaturus accedo vitium, summum in matrum dedecus, severis reprehendo verbis. Incredibili pigritia nefandaque incuria tenellos in linteaminibus, lotio et faecibus madidis et squalidis, per integram haud raro diem, inclusos tenent, donec tandem quidam, continuo commotus vagitu, misercúlos squalori tormentoque eripiat. Talem tractandi methodum, somnum infantulis summe necessarium, invitare non posse, quis est, quem fugiat? Somno vero deficiente blando, digestio, justa humorum circulatio, transspiratio cutanea nec minus et reliquae corporis functiones, a norma recedunt; sordes vero, modo poros cutaneos obturant, modo resorpti sanguinis massam corrumpunt, cutem acredine arrodunt; quam arrosionem matres ineptae variis student sanare remediis adstringentibus, uti cerussa plumbi, alumine et aliis.

§. 19. Nec minoris est error a quibusdam commissus parentibus, qui non haesitant, neonatos cuilibet objicere advenae, ut eos blandimentis afficiat, osculisve inundet. Demunt primo infantulo somnum, exponuntque secundo pauperculum periculo infectionis a morbis contagiosis, hodierna die non adeo raris.

§. 20. Tacendo praeterire non possum consuetudinem, neonatos cunis impositos, huc illucque agitandi. Qui motus, si absque impetu perficeretur, nocivus omnino non esset; ast servae, hoc officio fungentes, pro more consueto infantes ejulantes cum violentia in cunis agitant. Motu adeo vehementi, praeterquam quod tenelli nonnunquam ex cunis in terram prejiciuntur, vertigo adducitur, humorum circulatio turbatur, vomitus excitatur, infantesque hebetes fiunt.

His pensitatis inconcinnum non esse duco, usum cunarum esse restringendum, ut hae praecaveantur sequelae.

§. 21. Valdopere quoque peccant matres, quae infantes primis tribus aut quatuor mensibus pulvinaribus non involutos brachioque non suffultos portari concedunt. Caput infantis hoc tempore adhuc grave, musculi cervicales impares caput portando, vertebrae dorsales pondere ejus male adfectae, propter mollitiem facile situm egredientes, curvationemque columnae spinalis producentes: an momenta sufficientia non sunt, quae verticalem interdicunt situm, horizontalemque invitant?

§. 22. Inter matres invenies et quasdam, quae sensibus infantum rite excolendis, curam minime gerunt, tenellos enim contra nimiae lucis influxum modo plane non custodiunt, modo in situm iniquum versus fenestras vel objecta splendentia ponunt, modo oculos repentinae vicissitudini lucis intensae et tenebrarum exponunt, sic visus hebetudini luscitatique originem parantes.

§. 23. Perversa nonnullarum matrum educandi methodus porro ex eo elucet, quod infantibus tempore eruptionis dentium 'varia corpora dura, ut radicem iridis laevigatam, vel dentes lupinos porrigunt. Infantes duritie corporum non detinentur, quominus ea ori immittant, adrodant et inter gingivas circumagant mordentes; qua re gingivae irritatae inflammantur, callosae evadunt, dentesque difficilius erumpunt.

Capitulum secundum.

Vitia educationis physicae infantum commissa inter primam et secundam dentitionem.

§. 24. Periodo primae dentitionis haud exiguae contingunt in organismo infantili metamorphoses, protrudit dentes, quibus cibi et solidiores comminuuntur, disponit ventriculum et intestina adeo natura conservatrix, ut comminuti quoque digerantur; brevi infans independens a mammis maternis vivere incipit. Tantum vero abest, ut hisce adfirmem, infantibus quodvis posse exhiberi nutrimentum, quo parentes vescuntur, ut potius valde vituperem matrum morem, quo nescio, an stultititia, an nimio obcoecatae amore, infantibus carnes vario modo paratas, cibos farinaceos diversos, uti turundulas, placentas, tortas, bellaria et alia nonnunquam veluti anseribus saginandis, tanta quantitate intrudunt, ut de miseris nil nisi ventriculus conspiciendus. Ventriculo adeo impleto et distento digestionem bene procedere posse, licet cibi condimentis provisi, quis sanae mentis affirmabit? Oriuntur cruditates gastricae, quibus vasa glandulaeque lymphaticae obstruuntur scrofulas rhachitidemque generando; procreantur turbae diversae nervorum sanguinisque systematis, et casu feliciori educatur, ut ita dicam, voracitas inexplebilis, difficillime desuetu.

Quae omnia evitantur mala, si infantibus cibi minori quantitate, sed pluries de die porriguntur, tali modo viribus digestricibus tempus opportunum muneri concedendo.

§. 25. Abhorrens accingor mentionem facere vitii, quod nutrices plerumque committunt, alimenta neonatis praebenda, proprio comminuentes ore. Commiscent

sic cibos saliva sua, quo infantibus periculum alienis inifici morbis instat. Vanum non esse metum, tristis docet experientia. Idem committunt peccatum vetulae infantulis cibos porrigentes, in quarum alveolis hinc inde dentes aliqui nigri, carie praemorsi et excavati prominent. Horum in excavationibus ciborum particulae, in putredinem demum abiturae, quae sub manducatione ciborum, infantibus destinatorum cibis admiscentur, saluberrimos quoque depravando.

Enascuntur hinc febres, digestionis vitia, morbi putridi et alia.

§. 26. Non infrequens inter matres nutricesque est mos, linteolum infantum labiis intrudendi, pane bis cocto saccharo, aliisque dulcibus commisto, impletum, quod in fasciculum rotundum redactum, Germani „Züller" vocant. Hoc instrumento, negotiis fungentes domesticis, infantes reddere tranquillos atque quietos student. Et revera infantes sugendo obmutescunt. Gignit autem tanta sacchari quantitas, quotidie sucta, saburram acidam, debilitatur ventriculus, morbique gastrici jam pluries inducti generantur; imo ipsa infantum periclitatur vita, fasciculo, suctu vehementiori, altius in os illato, aërique aditum denegante.

§. 27. Datur et alia parentum caterva, qui infantibus jam ciborum copia infarcitis, et potum quemlibet ipsis usitatum ulla sine circumspectione infundunt. Adduco prae reliquis cerevisiam, vinum et infusum coffeae. Cerevisia nostris cocta in urbibus difficilis est digesta, borborigmos causans, intestina relaxans, pituitam gignens, sanguinem excitans et inebrians, quae quantitate justo majori sumta vomitum ciet, sensus in- et externos obtundit et stupefacit. Vinum non adulteratum, genuinum modice sumtum, exhilarat, immodice vero ingestum vel adulteratum orgasmum procreat et eosdem fere progignit effectus sub cerevisia adductos. Coffeae infusum oleo empyreumatico adficit nervos, circulum

sanguinis accelerat, et orgasmum summo in gradu excitat. Inde calor, anxietas, cardiopalmus, pervigilia, cephalalgia, vertigo, tremor artuum, debilitas visus, paralyses, diathesis ad apoplexiam et alia mala plethoram venosam excipientia.

Quae vix enumeravi mala, cerevisia, vino et infuso coffeae, producta, robustos jam plectunt homines quorum corpus longe firmius et difficilius alteratu, quam illud infantum. Sequitur itaque, organismum tenellorum quamlibet impressionem fortiorem aegrius ferentem, eo gravius plecti. Inter medicos constat, haemoptoën, morbos nervorum plurimos his e fontibus prosilire.

§. 28. Plurimae, quas hucdum conspexi, foeminae infantes sinistro, nunquam fere, uti tamen necesse esset, reciproce et dextro portare consueverunt brachio, qui gestandi mos infantibus plenus periculo exstat, nam uni eidemque brachio insidentes in unum continuo declinant latus, incurvationibus columnae dorsali ansam praebendo.

§. 29. Multi praeterea habentur parentes, omnibus adlaborantes viribus, ut surculi cari, rependo vix pares, incedere discant. Hunc in finem sibimet ipsis relinquunt, aut vinculo circa pectus cinctos circumduci, aut denique serperastro inclusos circumvehi curant. Quod omnino omitterent sequelas infaustas perpendentes.

Infantes sibimet ipsis relicti humi volutantur pulvere muco nasali, quem abstergere nesciunt, lutoque sese maculantes; occasione oblata, crepundiis sat delectati, omnia corpora comprehensa ori ingerunt, deglutiuntque, quae si acuta fuerint aut praegrandia faucibus inhaerentia periculum suffocationis minantur. Ex immunditie autem tinea capitis, scabies, adrosio cutis et scrofulae originem ducunt. Vix minores sunt noxae e vinculo, quo infantes incedere discunt, progerminantes, coarctatur thorax, quia costae hoc tempore adhuc molles comprimuntur. Thorace deformato

gibbositateque inducta, dispositionem ad morbos pectoris invitari, neminem latet.

Tenellorum ossa mollia longiorem in serperastro moram sine detrimento non perferunt, pedes hinc curvantur, et infantes evadunt valgi.

§. 30. Dantur levae mentis homines, qui infantulos joci causa, uti dicere solent, ambobus brachiis prehensos campanarum adinstar jactitant, aut capite circa aures prehensos extollunt. Hi motus infantibus periculosi sunt ob facilem humeri et vertebrarum colli luxationem.

§. 31. Puellae aliquot annis natae, ut aetate provectiore graciles evadant, thoraculis induuntur, quoniam hac praecipue aetate corpus molle formam facile induit junceam. Juncea vero forma thoraculo comparata, etsi elegans videtur, foeminis tamen maxime infesta est, ob damnum sanitatis et integrae corporis conformationis, inde enascentis. Thoraculo enim et pectus et abdomen comprimitur, spina dorsi, costae ac scapulae nimis coarctantur et corporis totius deformationes inde veniunt. Hinc asthma, dispositio ad morbos pectoris uti pneumoniam, pleuritidem, phthisim; hinc debilitas, circulus humorum turbatus, congestiones versus caput, vertigo, cephalalgia, impotentia lactandi, menstruorum anomaliae, abortus frequentes et partus difficiles.

§. 32. Jam vero de eo vitio loquamur, quod nonnulli parentum committunt, proles suas nimis delicatule habentes, vel quoad partes corporis singulas, vel quoad corpus integrum. Quoad primum errant parentes, qui pueris galeros intus pelle munitos imponunt, ne caput frigefiat, et bene fecisse putant, si eorum caput ab omni externo et libero aëris accessu defenderunt. Sed hac ratione sanguinis congestio, quae in infantibus praecipue versus caput urget, adhuc augetur, et dispositio ad cephalaeam, coryzam, ophthalmias, rheumatismos contrahitur. Eo vero magis promovetur congestio, si infan-

tes pedibus simul nudis incedunt, ut ii parentum vilioris conditionis. Quoad secundum opulentiores peccant, proles suas vestimentis calorem aegre conducentibus solertissime involventes, quibus vero hi emollescunt, nam vestimentis calidis nimis adsueti frigidum aërem vix sine damno perferre valent, quin rheumatismis, catarrhis varii generis variisque morbis plerumque inflammatoriis vexentur.

Quae amplius conferunt ad infantum mollitiem, sunt: aqua tepida, qua infantes paulo adultiores hieme praesertim lavantur, motus deficiens, mora in conclavibus justo magis calefactis longior, cubatio in pulvinaribus excalefactis.

§. 33. Animo tandem legubri flagellum vituperii et iis impono parentibus, qui vehementi excalescentes ira sui non compotes, pauperculos innocentes pugnis, virgis, imo et baculis aliove, quod praesto habent, instrumento, rudi percutiunt modo, nulli parcentes corporis regioni. Bestialem hunc tractandi modum graves nonnunquam insequuntur exitus: commovetur alapis, quae non raro sine numero figuntur, encephalum, inflammantur organa majoribus sita in cavis ex ictibus vi illatis, obtegitur integra cutis superficies sanguinis sugillationibus, in suppurationem abituris, tabemque inducentibus, dislocantur imo et franguntur nonnunquam infantum ossa tenuia.

Utinam tales parentes omnem navarent operam animi pathema abjiciendo, pari tantis producendis malis!

§. 34. Reprehendo tandem ultimo et eos, qui permittunt infantibus aetate jam provectioribus somnum capere quotidianum avorum avarumve in lectis. Macilenti fiunt infantes tandemque atrophia corripiuntur, quum e contra seniculi bene se habeant infantum viribus foti recreatique.

Theses defendendae.

I.

Influxus nervorum princeps est circuitus sanguinis causa.

II.

Medicamini, sensu stricto, vis non convenit.

III.

Medicum ipsum remedium esse, contendo.

IV.

Dulcis amor vitam protrahit, infelix imminuit vitam.

V.

Mater sana lactatione omnino nonnullam [illegible]statis, nullam vero sanitatis jac[illegible]uram fa[illegible]

Morbus non e[illegible] pugna inter organismu[illegible] et potentias extern[illegible]

VII.

Praematur[illegible] facultatum mentis intentio in corporis aequ[illegible] ac m[illegible]itis evolutionem pessimum influxum exercet.

VIII.

Fames [illegible]ganismum servat, fames organismum destruit, [illegible] salutem diaeta, diaeta mortem affert.

IX.

Naturae medicina semper activa, artis medicina vel activa vel passiva; ubi debile naturae conamen, sit ars activa; exspectativa, ubi natura valet.

X.

Tussis et sputum in phthisi pulmonali incerta sunt symptomata.

XI.

Clysma ex aqua frigida insultum hystericum extemplo tollit.

XII.

Medicastri plures morbos reddunt insanabiles, pluresque mortales.

XIII.

Inflammatio continuitatem solvit, solutam unit.

XIV.

Die Versorgung der Findlinge in Privathäusern ist der in Findelanstalten vorzuziehen.

XV.

Materia perspirabilis, ex refrigerio [illegible]enta, unica causa rheumatismi non est.